

Romae 6 Oct. 1603 : Bellarminus S.Congr. Concilii

1  
2505  
1

Relatio de Statu Ecclesiae Capuanae  
qualis erat anno Domini  
millesimo sexcentesimo tertio exeunte.

f 382 Ecclesia metropolitana Capuana protomartyri Stephano et Agathae martyri dicata, in Regno Neapolitano, Campaniae Felicis regione, sita est, mihi Roberto Cardinali Bellarmino a Smo Domino Nostro Clemente Papa VIII concredita. Praeest novem suffraganeis Episcopis: Venafrano, Esersino, Suessano, Theanensi, Casertano, Calinensi, Calvensi, Calatino et Aquinati, qui pauces abhinc annis ab obedientiam denegat Archiepiscopo Capuano.

Sunt in eadem provincia duo monasteria exempta, Sti Benedicti ad Montem Casinum et Sti Vincentii ad fontem Vultureni.

Urbs Capua, ubi nunc reperitur, Landonis Comitis studio, Landulphique eiusdem civitatis Episcopi constructa fuit, et a Ioanne XIII Romano Pontifice Archiepiscopal Sedis dignitate donata.

Archiepiscopal mensa ex praediis, censibus, domibus, pascuis et nemoribus septem millia ducatorum Regni Neapolitani plus minusve obtinet, ex quibus singulis annis Ill.mo Cardinali dicto mille monetae Romanae pensionis nomine solvit, et omnes templi primarii expensas facit.

Ecclesiae metropolitanae templum insigne est ob structuram, columnas ex ophiti lapide, et varia opera. Oblongum item est, tres habens - ut aiunt - naves et tribunam ex auro rato vitro et vermiculato opere, cum imaginibus Sanctissimae Deiparae Virginis et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Stephani et Agathae Martyrum.

Ante frontem ecclesiae, quae tribus portis orientem spectat, est atrium valde insigne propter numerum columnarum,

et sepulchra aliquod marmorea veterum Principum et procerum Capuae. Pavimentum ecclesiae vermiculatum est ex parvis lapidibus diversi coloris: fenestrae vero vitriae sunt. (f. 382<sup>v</sup>)

Ei templo inserviunt computato Archiepiscopo quadraginta canonici, quorum viginti sunt presbyteri, decem diaconi et decem subdiaconi.

Iter hos canonicos duo sunt in dignitate constituti: Decanus et Archidiaconus. Sunt etiam primicerii duo, de quibus aliqui ambigunt, an dignitates an vero personatus sint. Habet eadem ecclesia thesaurarium et cancellarium; sed thesaurarius extra capitulum est, cancellarius unus ex canonicis.

Est praeterea in ea ecclesia praebanda theologalis erecta cum onere bis in hebdomada legendi sacrae Scripturae lectio- nem. Est et poenitentiarius unus ex canonicis.

Praeter Archiepiscopum et presbyteros canonicos, nemo celebrat in altare maior.

Archiepiscopo iniunctum est opus celebrandi diebus Nativitatis Domini, Sanctorum Stephani et Agathae, Epiphaniae, Coenae Domini et Paschatis, Translationis St. Stephani et Inventionis, Dedicationis Ecclesiae, Corporis Dominici, Pentecostes et Assumptionis Beatissimae Virginis. Absente autem aut impedito Archiepiscopo Decanus celebrat.

Primicerii autem celebrant in Circumcisione Domini, et omnibus festis Beatissimae Virginis praeter Assumptionem, feria sexta et sabbato maioris habdomadae, secunda et tertia feria post Pascha et post Pentecosten, in Nativitate S.Ioannis Baptistae, in festis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Laurentii, Prisci, Omnium Sanctorum et S.Ioannis Apostoli et Evangelistae. Presbyteri per hebdomadam deserviunt.

In thesauro vestes pretiosae, vasa argentea quam plurimae et summae religionis reliquiae accuratisime asservantur, inter quas in theca argentea est corpus Sti Prisci, unius ex discipulis Domini, qui ab Apostolorum principe primus Episcopus Capuanae ecclesiae datus fuit, et via Aquaria (f 383<sup>r</sup>) prope Capuam martyrium subiit. Mannilla Stae Agathae, digitus

Sti Andreae et brachium Sti Stephani protomartyris, quod (ut fama est et pie creditur, Capuae relictum fuit, cum corpus eiusdem Sancti Romam deferebatur.

Seminarium iam erectum et institutum fuit, et in eo viginti duo clerici continuo educantur, quibus aliquot convictores adiuncti sunt.

Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum in quadam cappilla decentissime asservatur, et in eo laicorum sodalitas reperitur, quae solitam in necessariis ad ipsius cultum curam adhibet praeter lampades. Eleemosynas plures impertit nonnullasque inopes puellas in festo S.mi Corporis Christi, ut honeste nubere possint, dotare consuevit.

Redditus omnes Capituli in diversis tritici aliarumque frugum et pecuniarum censibus consistunt, et ad sex mille et quingentos ducatos ascendunt. Singuli canonici propriam et distinctam praebendam habent praeter quattuor videlicet: ultimum diaconum, et tres subdiaconos; qui omnes redditus in mensam communem coagulati, per quotidianos distributiones inter eos dividuntur; presbyteri tamen integros, diaconi dimidiatas distributiones percipiunt.

Capua habet tria monialium coenobia; unum in honorem Stae Mariae a Longobardis Principibus exstructum fuit, in quo Sti Bernardi regula ad unguem retinetur. Alterum ordinem Sancti Francisci sub invocatione nominis Iesu servat, prae tenuitate redditus tot monialibus haud sufficiens. Tertium est Sancti Iohannis, quod superioribus annis, dum eius curam Abbas Casinensis deseruit, ab Apostolica Sede Archiepiscopo commendatum fuit, et olim iustis de causis Abbatissa caruit, antiquiore moniali videlicet illud regente (fol. 383<sup>v</sup>).

Tria sunt in hac civitate hospitalia et novem regularium virorum monasteria, videlicet Praedicatorum, Minorum observantium, Minorum Conventualium, Capucinorum, Augustinianorum, Carmelitarum, Coelestinorum Montis Virginis et Theatinorum. Et praeterea coenobium aliud Augustinianorum et aliud Servorum non procul a civitate.

Est etiam insignis ecclesia Annuntiationis Beatissimae Virginis de iurepatronatus Civitatis, quae per unum nobilem et per quattuor cives, bastonarium, magistros et bancarium nuncupatos, administratur; nec, quantumvis magnae sint eius facultates, sufficiunt hospitalibus virorum et mulierum, victui ducentorum puerarum et stipendio duodecim sacerdotum horas canonicas quotidie recitantium et Sacrum inibi § facientium.

In tribus eiusdem civitatis aedibus tamquam in monasterio plurimae pueriae regularem pene vitam observant. Una dicitur domus charitatis, in qua educantur virgines in honestis parentibus natae. Altera est domus Conceptionis, in qua educantur virgines honestis parentibus ortae. Tertia est domus Iesu, in qua educantur artificum filiae.

Parochiales ecclesiae numero viginti in Civitate numerantur. At cura animarum in aliquibus per rectores, in aliis per cappellanos exercetur. Ubi vero plures cappellani sunt, per hebdomadas alternatim inserviunt.

Totius dioecesis parochiales ecclesiae numero sunt quadraginta, et fere in omnibus, in quibus sufficiens numerus reperitur, Sanctissimi Sacramenti sodalitates sunt institutae; et per eas illud ad infirmos decenter defertur; inter quos duae sunt ecclesiae collegiatae, una in § casali Sanctae Mariae Maioris, quae octo habet canonicos (fol. 384<sup>r</sup>), quorum unus est primicerius. Altera est in casali Marcenisi cum duodecim canonicis, quorum primicerius est cantor sunt dignitates.

In urbe Capuae est alia ecclesia collegiata Sancti Benedicti, de iure patronatus olim familiae de Angelis. Praeest abbas, qui sub se duodecim habet canonicos, praetenditque se esse exemptum.

Numerus animarum in Urbe Capua ascendit ad sex millia paulo amplius; in reliqua dioecesi ad decem et septem millia; in universum ad viginta tria millia. Qui numerus accuratisime a nobis annotatus est. Quod enim in relatione praedeces-

soris nostri piae memoriae, ante hoc triennium ad Urbem transmissa, dicebatur, fuisse Capuae duodecim millia hominum et in reliqua dioecesi viginti octo millia, et in universum quadraginta millia, nescimus quo fundamento nitatur.

Invenimus in ecclesia primaria chorum amplissimum in medio templi situm, unde fiebat ut clerici et laici, viri et feminae permixti sederent, dum sacra in Ara maxima fierent. Nos igitur chorum ad summam templi partem revocavimus et cancellis marmoreis atque aliquot gradibus a reliquo templo seiunximus. Haque nunc in presbyterio soli clerici locum habent, viri quoque a feminis seorsim in templo sedent.

Pulpitum ad sacras conciones ex precioso lapide construximus, et opportuno loco constituimus, cum antea ligneum et deforme esset ac parieti cuidam turpiter immineret.

Palatium archiepiscopale, quod ita incommode invenimus, ut alias aedes conducere coacti fuerimus, resarcivimus et in meliorem formam reduximus (fol. 384<sup>V</sup>), ut iam totam familiam nostram commode capiat et sit etiam pro hospitibus locus.

In Cathedrali ecclesia ex quadraginta canonicis decem tantum erant qui presbyteralem ordinem annexum habuerunt. Nos igitur communicato consilio cum praeside Congregationis Concilii Tridentini et cum ipso nostro capitulo, effecimus ut viginti essent presbyteri, decem diaconi et decem subdiaconi iuxta regulas Concilii Tridentini.

Visitationem localem et personalem totius dioecesi fecimus et nunc alteram inchoavimus.

Synodus dioecesanam bis celebravimus; Concilium quoque provinciale, quod ab annis duodecim habitum non fuerat, hoc anno post octavam Paschatis habuimus.

Monasterium Sti Iohannis, quod dives et amplum est, sed observantia regulari et abbatissa carebat, reformavimus, ad ductis ex monasterio Surrentino, potestate nobis a S. Congregatione facta, duabus probatissimis sanctimonialibus; nec solum sanctimoniales ipsas reformare curavimus quoad clausuram,

vitam communem et reliquam observantiam, sed etiam aedificium undique separavimus ab aedibus saecularium et ad clausuram servandam diligenter munivimus.

In cathedrali ecclesia, in qua solum per Quadragesimam verbum Dei praedicabatur, singulis dominicis conciones haberi cooptae sunt; et in eadem ecclesia poenitentiarium instituimus cum optima praebenda, cum antea tenuem canonicatum subdiaconalem haberet; quattuor praeterea canonicos ad confessiones audiendas adiicimus, quamvis ecclesia cathedralis curam animarum annexam non habeat.

Per diocesim missimus duos patres Iesuitas (1) qui discurrentes per omnia loca concionando, confessiones audiendo et doctrinam christianam edocendo, fructum non exiguum retulerunt. Quas missiones quod utilissimas experiamur, Deo favente omnino continuare decrevimus.

Instituimus in civitate quotidiana lectionem casuum conscientiae, et tum in ipsa civitate, tum per dioecesim in principalioribus locis conferentias casuum, ad quos parochi octavo quoque die conveniunt.

Ut christiana doctrina per idoneas personas tum in ipse urbe Capua tum in pagis omnibus doceatur, pro viribus operam dedimus.

Atque haec sunt quae de totius ecclesiae Capuanae statu hoc primo tempore nostri ministerii vel ad Apostolicam Sedem vel ad Sacram Congregationem referre potuimus.

(manu Bellarmini!) Robertus tit. Sanctae Mariae in Via presbyter Cardinalis A

Archiepiscopus Capuae

f 386<sup>v</sup> legitur

Capuan. Relatio sexti triennii 1603 die Veneris X octobris.

Fuit praesentata per primicerium. Archiepiscus est promotus intra sextum triennium.

(alia manu) Non expedita, quia Episcopus resignavit.

(1) qui - addit ipse B.